



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.38. S. Bonaventura Archiepiscopatum Eboracensem abnuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

dedit, ut se Papæ sisterent, quem proin Sæcul.XIII.
 adierunt. Benedictus Episcopus Lin- A. C. 1265.
 colniensis, qui etiam partium illarum
 fuerat, post longum tempus gratiam im-
 petravit: Gualterius Episcopus Vigornen-
 sis in mortis Articulo constitutus, ad
 Legatum litteras dedit, & agnito errore
 absolutus 5. Febr. an. 1267. spiritum e-
 didit. Eodem in concilio Northantonia- *Goduin. p.*
 no Anglorum Regi decimæ in septem *519.*
 annos concessæ sunt.

§. XXXVIII.

*S. Bonaventura Archiepiscopatum
Eboracensem abnuvit.*

Ecclesia Eboracensis vacabat ab initio
 anni 1264. Godefrido Kintonio sub
 festum Epiphaniæ diem mortuo. Colle-
 gium primo elegit Guilielmum Langeto-
 nium Decanum suum, qui Romam pe-
 tiit, ut electio rata haberetur. Sed Pa- *Id. p. 49. Va-*
 pa eam non reputans canonicam infir- *ding. 1265.*
 mavit, illique sedi tum quidem ipse pro- *n. 14. Rayn.*
 vidit, S. Bonaventuræ Ord. Minorum *n. 74.*
 Ministro generali eam destinans. Hanc
 ad optionem eum impulit tam viri meri-
 tum singulare, quam status Angliæ. Spe-
 ctabat in illo puritatem morum, asperita-
 tem vitæ, præstantiam eruditionis, pru-
 dentiam, gravitatem, diuturnum Ordinis
 regimen magnopere approbatum, denique
 peritiam

Sæcul. XIII.
A. C. 1265.

peritiam demerendi omnium studia, & regularem observantiam conservandi. Ex parte Angliæ considerabat pravitates per bellum civile etiam in Ecclesiam introductas, ac hominis extraordinariæ necessitatem ad instaurandam inibi disciplinam. Igitur implorato Dei auxilio, ac deliberatione cum Cardinalibus inita Bonaventuram Sedi Eboracensi statuit imponere, eumque sequi vocantem Deum per sacram obedientiam iussit: ita loquitur in litteris 24. Nov. 1265. datis. At vir sanctus Papam adiit, & tam belle rem suam egit, ut consensum in hoc munus evitaret. Quo renuente id accepit Gualterius Giffardus Bathoniensis Episcopus, antea sacelli Pontificii Præfectus & Canonicus Veliensis, thesauri Custos, postea tabularii sanctioris Præses in Anglia. Sedem Bathoniensem biennio tenuerat, cum ad Eboracensem a Papa translatus est.

Goduin. p.
425.

§. XXXIX.

S. Thomas Aquinas recusat fieri Archiepiscopus Neapolitanus.

Simili modo S. Thomas Aquinas plures dignitates sacras pinguesque proventus renuit a Papa Clemente sibi oblatos: Is enim hunc sanctum Doctorem singulari amore prosequens, ejus parentum ob-

Vita ap.
Boll. to. 6.
p. 673.

vexa-